



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Epistola XCII. Leonis Papae I. Ad Rvsticvm Narbonensem Episcopvm.  
Subditis responsionibus ad eiusdem consulta rescribit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

EPISTOLA XCII.  
LEONIS PAPÆ I.  
AD RVSTICVM NARBONENSEM  
EPISCOPVM.

Subditis responfionibus ad eiusdem consulta  
refcribit.

*Leo episcopus Rustico episcopo Narbonensi.*

**E**PISTOLAS fraternitatis tuæ, quas Hermes archidia-  
conus tuus detulit, libenter accepi, diuerfarum qui-  
dem causarum connexionem multiplices, sed non ita pa-  
tientia legentis onerosas, vt aliquid earum inter concu-  
rentes vndique sollicitudines fuerit prætermiffum. Vn-  
de totius sermonis tui allegatione comperta, & gestis  
quæ in episcoporum honoratorumque examine confecta  
funt recensitis, Sabiniano & Leoni presbyteris actionis  
suæ intelleximus fiduciam defuisse: nec eis iustam super-  
esse querimoniam, qui se ab inchoatis disceptationibus  
sponte subtraxerint. Circa quos quam formam, quamve  
mensuram debeas tenere iustitiæ, tuo relinquo modera-  
mini: suadenstamen caritatis hortatu, vt sanandis agris  
spiritalem studeas adhibere medicinam; & dicente scri-  
ptura, *Noli esse nimium iustus*, mitius agas cum eis, qui zelo Ecclef. 7.  
pudicitia videntur modum excessisse vindictæ, ne diabo-  
lus, qui deceptit adulteros, de adulterii exultet vltoribus.  
Miror autem dilectionem tuam in tantum scandalorum  
quacumque occasione nascentium aduersitate turbari,  
vt vacationem ab episcopatus laboribus optare te dicas,  
& malle in silentio atque otio vitam degere, quam in his  
quæ tibi commissa sunt permanere. Dicente vero Domi-  
no, *Beatus qui perseverauerit vsque in finem*; vnde erit beata Matth. 10.  
perseuerantia, nisi de virtute patientiæ? Nam secundum  
apostolicam prædicationem, *omnes qui voluerint in Christo* 1. Tim. 3.  
*pie viuere, persecutionem patientur*. Quæ non in eo tantum com-  
putanda est, quod contra Christianam pietatem, aut ferro,  
aut ignibus agitur, aut quibuscumque suppliciis: cum perfe-  
cutionum sæuitiam suppleant & dissimilitudines morum, &  
contumaciæ inobedientium, & malignarum tela linguarum.

*Concil. Tom. 7.*

D d ij



Quibus conflictationibus cum omnia semper ecclesie membra pulsantur, & nulla piorum portio a tentatione sit libera, ita ut periculis nec otia careant, nec labores; quis inter fluctus maris nauem diriget, si gubernator abcedat? quis ab insidiis luporum custodiet oues, si pastoris cura non vigilet? quis denique latronibus obsistet & furibus, si speculatorem in prospectu explorationis locatum ab intentione sollicitudinis amor quietis abducat? Permannendum ergo est in opere credito, & in labore suscepto: constanter tenenda est iustitia, & benigne præstanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines: corripiantur tumidi, tolerantur infirmi: & quod in peccatis seuerius castigari necesse est, non sæuientis plectatur animo, sed medentis. At si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expauescamus, quasi illi aduersitati propriis sit viribus resistendum; cum & consilium nostrum, & fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus. Qui confirmans prædicatores euangelii, & sacramentorum ministros, *Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Et iterum: *Hæc, inquit, locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis: in hoc autem mundo tribulationem habebitis: sed bono animo estote, quia ego vici mundum.* Quæ pollicitationes, quia sine dubitatione manifestæ sunt, nullis debemus scandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, cuius tam potentia sunt adiutoria, quam vera promissa. De consultationibus autem dilectionis tuæ, quas separatim conscriptas archidiaconus tuus detulit, quid sentiendum sit inter præsentis opportunius quæreretur, si nobis tui conspectus copia proueniret. Nam cum quædam interrogationes modum diligentia videantur excedere, intelligo eas colloquiis aptiores esse, quam scriptis: quia sicut quædam sunt, quæ nulla possint ratione conuelli: ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum, oporteat temperari; illa semper conditione seruata, ut in his quæ dubia fuerint vel obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inueniatur diuersum.

Dist. 86.  
Odio habeantur peccata.

Math. 28.

Iean. 16.

Dist. 14.  
Sicut quædam.